



Thurzones

Eckii Valentini: De antiquissima nominis et familiae Thurzonum origine, et singulari D. Alexii Thurzonis eminentia panegyris.

Crac. per Hieron. Victorem. 1519.

4228

De antiquissima nominis & familie Thurzonũ origine, & singulari Præstãtissimi dñi Alexii Thurzonis Camerarii Cremniceñ & liberi domini Plesnensis eminentia Panegyris, Valentino Eckio autore.

In Eckii sui commendationem Carbo.

Non adeo omniparens natura exhausta uigore est,
Nec tam effœta suis uiribus usq; iacet.
Optima quin ualeat solers producere uatum
Ingenia, & Clario nec renuenda deo.
Si fidei cuiq̃ uidear non consona fatus,
Tempore tu nostro Lindauiane probas.

Lodouicus Bouillus Schaffhusanus Lectori

Thurzonum magnæ q̃ sint illustria stirpis
Principia, & tantæ quæ sit origo domus.
Quam uetus & fœlix ac multa laude perennis,
Eckius hoc terso carmine noster habet.



AD GENEROSVM ET MAGNIFICVM dominum Alexium Thurzonem prestantissimi viri domini Valentini Carbonis Grammatei Cassouiensis p Eckii sui cōmēdatione Carmen

Thurzo decus procerum, studiorū fautor, & alter
Mœcænas, patrii stemmatis una salus.
Qui nostra solus lapsam instaurare poesim,
Tempestate tui muneris esse putas.
Perlege deposita rugæ grauitate libellum,
Leta ubi tranquillis ocia rebus agas.
Quem nunc excudit musis operatus abunde,
Eckius ille tuæ buccina clara domus.
Hic tua nobilitas, & auum generosa propago
Concinitur, titulis & domus aucta sacris.
Sed sine patrono q te properauit adire.
Præsidio tutum se putat esse tuo.

Generoso & magnifico Domino Alexio Thurzoni Camerario Cremnicēsi &c. Rudolfus Agricola Poeta & Orator a Cæsare laureatus, lector ordinarius Cracouiensis se commendat.

Magnam esse fœlicitatē mortalium Magnifice domine Alexi, nec minorem laudē iure arbitror, si ut eorū virtus, quę suopte carere p̄mio nunq̄ debet, claraq; facinora apud posteros enitescant, nō defuerint q partis ingenij monumētis hęc ipsa illustrēt nec intermori patiant̄. Hinc post miserandā Thebanorū direptionē, quum Alexāder ille Macedo Troadē versus profectus, sepulchraq; Heroum, Achillis, Aiacis, aliorūue inferiis, cęterisq; honoribus veneratus esset. Fœlicē Achillem dixit, q suę virtutis illustriumq; factorum pręconē Homerum habuerit, siquando igitur æternis ignorantię tenebris omni voto expetenda rerum noscendarum cognitio inculcetur, nisi fidelibus scriptorū lucubrationibus nullo unq̄ euo interituris commendetur. Dionysius olim Siracusanus lateri eius adesse doctos voluit, vt admiratione per illos, cōmendationeq; dignus fieret. Nonne fortunatum te generose Alexi merito dixerim? nōne nobilissimā illam Thurzonum propaginē fœlicissimam esse censeā? quæ q̄ plurimos habet clarissimos viros, atq; omni laudum genere ornatissimos, ex qua Reuerendissimi tres Antistites processerunt, q̄rum Stanislaus Olomurcensis benignissimus Mecœnas litterarum, Ioānem Dubrauum virū doctissimnm. Ioannes Vratislauiensis patronus meus fauentissimus Casparē Vrsinum meum gręcę, latinęq; linguarum peritissimū, penes se fouet. Sigismūdus olim Varadiēsis Aldum illum Romanum suæ laudis buccinatorem habere meruit, quid de te loquar & celeberrimis viris Georgio & Ioanne Thurzonibus, & uniuersa familia, quæ multis iam temporibus per omnem Europam quasi sol quidā illuxit. Habetq; Valentinum Eckium virū pcelebrem, & de melioribus litteris optime meritum, conterraneum meum, qui noctes atq; dies huius celebritati studet, quādo te sibi exoptatissimum Mecœnatē fœliciter adeptus sit. Vtinam multos Alexios, studiorum patronos nostra ætas sortita esset, melius latinę rei, literatisq; consuleretur, pinde apud te planū esset, velim, quam dari mihi aliquam occasionem celebrandi nominis tui concupiscam, in cuius virtutibus pmulgandis vigilias, industriā, laboresq; omes, studiosi certatim ponere debeāt. Interim Valentini nostri, q̄ tuæ dominationi offeruntur monumenta, sereno vultu perlegas, & tibi persuade multo illum meliora editurum, vbi aura tuę benignitatis, vt iāpridem cœpit, sibi adfulserit, & anni, otiūq; suppetent. Vale, & Agricolam tibi commendatum habe Cracouię pridie nonas Octobris Anno salutis humanę 1519.

DE ANTIQVISSIMA NOMINIS ET familiæ Thurzonum origine, & singulari præstantissimi dñi Alexii Thurzonis Camerarii Cremnicensis & liberi domini Plesnensis eminentia Panegyrius, Valentino Eckio autore.

Saturnus Iupiter. Vulcanus.

Saturno genitore satus, translatus ad Idam,
Gnosiacas coluit Iupiter ipse domos.
Claudus & æthereo Vulcanus culmine iactus,
Stridula Lemniacis mollit æra iugis.

Mercurius.

Iunonis proles, Thracum Cyllenius arua
Intrat, & horrisona concutit arma manu.
Scimus, & hæc ueterum prima in cunabula diuum
Vix est qui toto nesciat orbe puer.
Sed generose tuæ Thurzo quæ stirpis origo
Sit uideo multos addubitare senes.
Nec mirum, quia longeuis mortalia sæclis
Languet, æternum durat in orbe nihil.
Hanc igitur dubio tollam de pectore nubem
Et referam generis quæ sit origo tui.
Huc modo paulisper mentem conuerte, tuiq;
Eckioli modicum cerne clientis opus.
Narrabo humanis quæ dudum tarda uetustas
Mentibus amouit rusticitate sua.
Qua plerumq; solet nitidissima reddere furua,
Voluere Lethæos & bene nota lacus.
Nil est tam firmum, nil tam durabile, quod non

Tempus omnia cōsumit.

In nihilum tandem tempora longa ferant.
Sola putrescentis uirtus ignara ruinæ
Perpetuæ nomen nobilitatis habet.

Quo tuus ipse pater, tritauiq; & longa propago
Insignes rutilum cōmeruere polum.
Atq; coronantur Thurzonum nomine claro,
Quod tu diuina nunc quoq; stirpe trahis.

Thurzo vnde originem

Nanq; es cærulei generosa propago parentis,
Qui triplici tumidas cuspide frenat aquas.

Neptunus.

Qui tenet Oceani imperium, qui cerula passim
Aequora regali sub grauitate premit.
Vnde tot eximii proceres, & tanta uirorum
Copia, quam nemo dinumerare ualet.

Neptuni progago.

Maximus hinc Dorus Graii instaurator honoris,
Hinc Amycus sub quo Bebrica sylua fuit.

Dorus. Amycus.

Et rex Sardiniæ Phorcus, Polyphemus & ingens
Qui tot Trinacria ualle tenebat oues.

Phorcus. Polyphemus

Telemus hinc uates, quem nulla fefellerat unq̄
(E tot quot terræ machina claudit) auis.

Telemus.

Albion cum fratre simul, quibus æthere ab alto
Venit in Herculeam saxea turba manum.
Nausithousq;, Aon, Mesappus, uulnere & igne
Liber, quo uates Ennius ortus erat.
Busyris, Nicteus, rapidis quoq; Pegasus alis,
Et Cygnus Danaum fax metuenda ducum.
Hinc Pelias, Neleus, Otho, Nauplius, atq; Pelasgus
Aegeus, cum Siculo, Sicanus, atq; Thara.
Et clari artifices Brontes, Steropesq;, Pyragmon,
Conflantes summo tela trisulca Ioui.
Delphinus, Cethe, & Neptuni cætera proles,
Inter quam primum Thursio nomen habes.
Thursio cærulei soboles clarissima regis,
Qua melior liquidum per mare nulla natat,

Albion. Borgion. Nausithous Mesappus. Ennius. Busyris, Nicteus, Pegasus, Cygnus Pelias, Neleus, Otho Nauplius Aegeus Siculus, Sicanus, Thara, Brontes, Steropes, Pyragmon, Delphinus, Cethe. Thurzio.

Vnde Thurzoni nomen Georgius Thurzo.

Vnde per annosos tritauos Georgius ipse
Thurzo tulit generis nomina clara sui.
Vir pietate Titus, Numa relligione, sed armis
Pelides, miro Tullius eloquio.
Diuiciis pollens ceu Cresus siue Metellus,
Natorumq; potens nobilitate trium.

Ihãnes, Theophilus, Georgius Thurzo.

Inter quos solers magis, & uirtute coruscus,
Fulsit Ioannes prima propago patris.

Laus Ioannis Thurzonis

Vnica nobilium Gepidarum gloria, summus
Hunnorum splendor, totius orbis honor.
Quem uirtus, quem cana fides, industria solers,
Terrenis longe præposuere uiris.
Atq; (ut uera loquar priscum referentia morem)
Fœcerunt merita relligione deum.
Maiorem Bromio, maiorem Marte, fabroq;
Qui per Trinacrias contudit æra domos.

Ab industria & solertia laus.

Ipse etenim cœcis generosa metalla sub antris
Monstrauit genti Pannonis ora tuæ:
Quando ex præduris argentea frusta latebris
Et fului claras eruit æris opes.
Discreuitq; aurum cupro, purumq; metallum
Fecit, quod fuerat lamina crassa prius.
Quæ tulit haud paucis res maxima commoda re-
Dum toto merces miscuit orbe nouas. (gnis,
Fecit enim Huniacis præclara emporia regnis
Allophylis late concelebrata uiris.
Ad quæ Germanus, Venetus, Gallusq;, Polonus
Merce sua illustri sæpe uenire solet.
Atq; per alternos contractus commoda utrinq;
Venari, merces diuariando suas.

Vngarus unde capit magna incrementa colonus,
Diuiciis multum crescit & ipse suis.
Vsq; adeo nulla ut, q̃uis ditissima, tellus
Hiis tantis opibus se opposuisse queat.
Dummodo concordi maneat respublica nodo,
Deserat & mentes dira libido truces.
Cœca cupido ducum sibi subdita corpora truncat,
Imperiumq; suum præcipitare solet.
Verum quicquid id est diuini muneris, omne
Thurzoni debet Pannonis ora suo.
Vnde potest ipsum iure exornare perenni
Nomine, & æthereo connumerare choro.

Laus a sobole.

Accedit simul hoc, quo maxima gloria surgit,
Et quod diuinæ nomina laudis habet.
Scilicet eximiæ sobolis numerosa propago,
Qua non quadrifido clarior orbe fuit.
Siue Metellinam numeres ab origine stirpem,
Vel cui præcellens Curio nomen erat.

Ioãnes Thurzo epus Vratislauiẽsis. Stanislaus Thurzo eps Olomuncẽsis

Ipsa quidem sacris præcinctos tempora mitris
Pontifices cœli tollit ad astra duos.
Heroas magnos, mundi duo sydera, uirtus
In quorum diuo pectore tota sedet.

Georgius Alexius Ioannes

Præterea proceres magno tres nomine claros,
Quartum immatura fata tulere nece.
Nobile quos omnes tollit super æthera nomen,
Famaq; per longos non moritura dies.

D. Alexij Thur. laus.

Te tamen in primis clarus uirtutis auitæ
Splendor ad Empyreum subleuat usq; polum.
Atq; in te patriam penitus uim colligit omnem,
Namq; tuos longe præradiaris auos.

Nil prodest quemq̃ præclaro stemmatē natum,
Ni decoret mentem fama paterna suam.
Clarorum celsa genus ortum stirpe parentum
Sanguinis ostendat quæ sit origo sui.
Nec cygnus coruum gignit, nec dama leonem,
Auritus concham nec lepus ipse pigram.
Naturam sequitur natus plerumq; paternam,
Nec proprio longe stipite mala cadunt.
Tantum laudis habet nomen superare paternum,
Quam uicii proauis degenerare suis.
Illustri q̃uis sit quisq̃ stemmate cretus.
Et careant donis pectora stulta suis.
Hic tamen haud pluris reputatur Thestylis illi
Quam si sit mater, Tityrus atq; pater.
Nobilitas duplici completur munere uera,
Virtute eximia, sanguine & egregio.

Duplex nobilitas.

Pro uoto postq̃ quisq̃ sortitur utrumq;,
Tum meritæ titulum nobilitatis habet.
Thurzo utrumq; tuum est, fauste decoraris utroq;
Ast dubium quo nam clarior eniteas.
Si genus aspicimus diuino es germine cretus,
Neptunno æquoreo nobile stemma trahens.
Sin mentem excutimus, miro splendore redundas,
Quippe tua uirtus mente reposta iacet.
Quæ te primæuis comitata fideliter armis,
Hæret adhuc animo firma tenaxq; tuo.
Incipiens uitam uiciis, adolescit eisdem
Vtq; puerescit, sic iuuenescit homo.
Quod teneri imbibimus, sapimus iuuenesq; senesq;
Te uirtus puerum fouit, amatq; uirum.

Aeditus in lucem ut primum Iunone secunda es
Turzoni magno stirps adamanda patri.
Daphneam Driades tibi mox neuere corollam,
Quam capiti imposuit Calliopea tuo.
Continuo infantem Pallas suscepit alendum
Prebens Aonii pocula grata lacus.
Illa bibis cupidis labris noctuq; dieq;
Difflectens Cyrrhæ per iuga celsa pedem.

Duę nymphę.

Dumq; uiam incautus properas tyrunculus altam
Delibans artes sedulitate nouas.
Accessere duę gressu properante puellæ
Verbaq; disparibus proposuere modis.
Prima gradu, sed sorde sua postrema, libido
Hos applaudenti rettulit ore sonos.

Voluptas ad D. Alexium

Huc puer, huc gressus insane reflecte tenellos,
Tutius hac lato calle tenebis iter.
Quam calcas dura & multo subiecta labori
Est uia, deliciis & caret arcta suis.
Huc ades, extra animi curas hic uiuitur, omnis
Hic pulsus Stygio sudat in amne labor.
Arripe præsentis blandissima præmia uitæ,
Te reple illecebris blande puelle tuis.
Vtere temporibus, nescis an crastina faustum
Adducat cursum forte uolante dies.
Diuitias tantas tibi tantaq; pondera rerum
Sufficiat uigilem concumulasse patrem.
Tu fruere hiis, quoniam nil, si non noueris uti
Prosunt, hæc tua sunt quæ bibis atq; uoras,
Delitiis auidam mentem saciare memento.
Ocia sint curæ uina, soporq; Venus.

Te quibus hoc uixisse probes frugaliter æuum,
Post mortem astabunt, gaudia nulla tibi.

Virrus ad D Alexium.

Hactenus hæc, contra progressa est aurea uirtus
Præcipiens omni tempore dura sequi.
Fidere clare puer noli pereuntibus, inquit,
Ammittas hæc ut non moritura, bonis.
Est incerta, breuis, fugitiua, caduca, uoluptas,
Et medio cursu precipitata ruit.
Dulcia fert secum bona, tristia quæq; relinquit
Mel capit, ast aloes pocla abitura refert.
Tu potius conscende uiam qua semita callem
Sub dextram Samii surgit acuta senis.
Hoc uirtutis iter, durum licet & peramarum
Dulcia sublimi uertice mella gerit.

Herculis labores.

Quod sudore graui quondam Tyrinthius heros
Conscendens, toto sustulit orbe feras.
Testis Erix, Erimanthus aper, leo, thaurus & orni
Custos, Stymphalides, aurea mala, draco.
Rex Pharius terræq; satus, corpusq; trimembre
Et Parichaliaco cornua mersa lacu.
Multaq; sudanti passim trucidata labore
Monstra, ob quæ rutili possidet alta poli.
Nulla carent duro sublimia facta labore.
Nulla ignaua manus præmia sancta capit.
Ergo ad præruptum deinceps conscendere montem
Incipe Pegaseo blande puelle gradu.
Turpe sit hanc teneram male cōsumpsisse iuuentam
Stertendoq; citos præteriisse dies.
Fac tibi sint curæ uenientis tempora uitæ
Quæ nil q̄ luctus, mœsticiamq; ferunt.

Tristius annosa nihil est ætate, dolores
Quæ fert innumeros, damnaq; mille fouet.

Formica.

Grana cauernosis condēs formica latebris.
Exemplum magnæ sedulitatis habet.
Ipsa monet uirtus teneris quæratur in annis,
Eius ut auxilio tutus alumnus agat.
Nam uirtus lydo multo præstantior ære
Viuit perpetuo non moritura die.
Quæ generet semper licet, impolluta uirescit,
Atq; senectutis tempora nulla timet.
Ipsa sed ignauo non est quærenda sopore,
Nulla graui quoniam clara labore carent.
Viribus ast totis opus est, nisuq; frequenti,
Sudanti multum proderit ipse labor.
Qui licet imprimis uultu oppugnarit amaro.
Attamen accincta uincitur ille manu.
Paruula namq; leuem faciunt præludia cursum
Ad grauiora, labor primus abhorret opus.
Sed postq̄ sueto durarint corpore uires.
Nil graue nil durum robur adesse putat.
Quapropter duros tandem perferre labores
Incipe, dum tenero corpore membra rigent.
Sic crescent uires membris crescentibus ipse,
Difficilisq; tibi nec labor ullus erit.

Milo.

Pubescens uitulum, mox crescens robore & annis,
Quo uoluit thaurum sustulit ipse Milo.
Ceruix assiduo quæ trita est pondere, notum
Sudoris gaudet sæpe subire iugum.
Qualescunq; igitur, capias ut magna, labores
Imponas humeris belle puelle tuis.

Præſentis uitæ bona ſi contempſeris, ampla
Præmia conſpicies poſt tua fata ſequi.
Languenti hoc quantum diſcedas corpore, tantū
Accedas animo, perpetuiſq; bonis.
Hæc uirtus, ſubito illius tu captus amore
Peruigil aerium carpis alumnus iter.
Ingrederiſq; uiam non quæ ſpacioſa ſiniſtro
Sed quæ ſub dextro prominet arcta iugo.
Vnde uenus, torporq; nocens, & aſocia mollis,
Longe habitant, nec non ocia, ſomnus iners.
Hic primo ſtudiis animum committis, & artes
Imbibis accincta ſedulitate nouas.
Nunc uatum libros, nunc libros hiſtoricorum
Luſtras, nunc Sophiæ dogma perhenne grauis.
Omnia perquiris ueterum monumenta parentum,
Et nullum uacuum tempus abire ſinis.
Moribus ingenuis, & claris artibus omnem
Exornas mentem ſtrennuitate tuam.

Similitudo.

Non aliter ſapidi q̄ mellis ſedula nutrix,
Vere nouo tacitum quum ſubit ipſa nemus.
Singula purpurei deprædans germina floris,
Nunc has nunc illas aduolat ore dapes.
Dum liquido caſtas ſucco compleuerit alas
Quo poſſet dulcem parca replere domum.
Sic tu diuerſis ſtudiorum floribus omnem
Accumulas mentem nocte dieq; tuam.
Nec quicq̄ ſancto pateris ſub corde prophanum,
Creſcere, flagiciis nec locus ullus adeſt.
Inclyta ſed clarę uirtutis ſemina iactas
Vnde ſuos fructus nunc tua dextra metit.

Arua tepeſcenti ſua plantans uere colonus,
Quas brumali epulas tempore carpat, habet.
Sic puer in primis uirtus cui queritur annis
Quos relegat fructus, uita futura, tenet.
O Thurzo fœlix, o terq; quaterq; beate
Qui tam multiplici nobilitate micas.
Quippe in te uirtus, ſolertia, gloria fama,
Nam precellenti iuncta nitore latent.
Vt dubitem quo nam poſſim deſcribere uerſu
Ordine & ignorem quo recitare queam.
Si fortem aggredior mentem, ſubit illico parcus
Guſtus, mox placido qui fluit ore lepor.
Hinc manſuetudo poſt magnificentia, uerum,
Aſcrea, & largæ dulcis alumna manus.
Deinde amor, & cunctis ſeruata modeſtia rebus,
Et quæ magnanimæ nomina mentis habet.
E quibus eximiis uirtutibus auguror ipſe
Quæ ſit decrepiti uita futura ſenis.

Fortitudo. Temperātia. Comitas. Manſuetudo Magnificentia. Veritas. Iuſticia. Liberalitas. Amicitia. Modeſtia. Magnanimitas.

Ipſe tuos primo tritauos iam flore iuuentę,
Es prætergreſſus nobilitate tua.
Quāta parabis adhuc dum perges tramite cœpto
Murranos certe Thurzo præibis auos.
Aegyptiq; patres, Ptolomeos, Arſacidaſq;,
Albanos linques poſt tua terga duces.
O mundi proceres, ueſtram componite uitam,
Huius ad exemplum, quam terit, ite uiam.

Ad huius tēpeſtatis proceres.

Turpe ſit ignauo uitam traducere ſomno,
Atq; inter Cyprias ſic iacuiſſe dapes.
Non ueri proceres, ſtatuæ, non corpora uiua,
Trunci, non homines, effera, bruta, feræ.

A uobis habitant procul omnia fœdera iuris,
A uobis pulsum fas procul omne iacet.
Vis scelerata premit, dii pœnas sumite, leges
Sumite dii pœnas ingemit omnis homo.
Aeger, inops, uiduæ, pupilli, uir, mulierq;
Lugent indigno colla repressa iugo.
Quod nocturna manus miseri, quod dextra diurna
Congerit, ingluuies uestra nephanda uorat.
Sumite proch tandem lucem rationis & æqui
Nec sinite hiis furiis pectora uestra premi.
Ante oculos uestros, uirtutum regula Thurzo
Versetur, tali uita petenda duce.

Singularis laus domini Alexij Thurzonis.

Quo nemo melius uitæ moderamina seruat,
Quo nemo maior relligione micat.
Qui solus uirtute sua est, quod tempore prisco
Fabricii, Curii, tumq; Catho uterq; fuit.
Vos igitur diui uates, quibus integer haustus
Contigit Aoniis suppeditatus aquis.
Hunc tantum nostri studii cōmunis & artis
Fautorem, uestris concelebrate modis.
Diuitis ingenii uobis mellita facultas
Est data, grandiloquis & resonare tubis.
Nostra nimis gracilis sub tantis musula rebus
Deficit, atq; illo pondere pressa gemit.
Quippe illos tenui uersus modulamur auena,
Et uix hoc modicum promimus ore melos.
Attamen hos fragiles dum spiritus incolat artus,
Et calor in membris palpitet ipse suis.
Thurzonis laudes uersu quocunq; tonabo,
Et referam meritis carmina digna suis.

Audiat hoc Phebo tellus sub utraq; reposta,
Audiat & tectis axis uterq; suis.
Nunc satis est, subitis hæc qualiacunq; camenis
Dictasse, & uotum persoluisse rude.
Quod petimus leto capias Thurzo inclyte uultu,
Quo sumes tandem meliora magis.
Paruula qui placide susceptat, magna meretur.
Regia res, comi sumere parua manu.

Generoso domino Alexio Thurzoni Nicolaūs Salomon se offert.

Ecce domos, stirpisq; tuæ incunabula, quæ tot
Heroas genuit, magnanimosq; uiros.
Itala quam tellus, Germania fortis & arctos,
Et panno obseruet, Francigenæq; colunt.
Hæc tota illustris merito gestisq; refulget
Europa, & lepido carmine clara micat.
Ista Valentinus scribendi pondera, onusq;
Qui Mecœnatem te colit, unus obit.

12 carmine languēt pro languet. 71 carmine etenim pro eteniui.

Impressum Graccouiæ per Hieronymum Vietorē anno Christi Millesimo quingētesimo decimo nono


BIBLIOTH